QUÆSTIO MEDICA,

QUODLIBETARIIS DISPUTATIONIBUS MANE DISCUTIENDA IN SCHOLIS MEDICORUM,

Die Jovis 10 Februarii 1718.

M. FRANCISCO AFFORTY,

ANTIQUO FACULTATIS DECANO,

DOCTORE MEDICO, PRÆSIDE.

An in homine amarum, salsum, acidum, dulce, quibus valet & ægrotat?

I.

SAPIENTIS est Medici hominis constitutionem explorare; principia ex quibus componitur non ignorare; signorum tàm salubrium, quàm insalubrium discrimina distinguere; morborum causas, eorumque symptomata complecti; curationem per indicationes instituere: Sed quis ille sapiens hæc certò tutòque præstare valeat, nisi qui sanguineæ molis compagem, ejusque crasim meliùs intellexerit? Illam pituita, & bilis utraque, flava scilicet & nigra (quam melancholiæ nomine designant,) hanc efficiunt amarum, salsum, acidum, dulce, proximæ sanitatis & morbi causæ. Sic edoctus observat quomodò singula se habeant ad hominem comparata; quid in homine facere possint; quomodò cognationes ineant inter se; quomodò & quando fiant affectiones; unde augescant ac desinant: Quas autem per totum vitæ decursum experimur, sanitatem & morbum, variosque ab alterutro recessus, ac repetitos ad alterutrum reditus, neque à calore, neque à frigore, neque à siccitate, neque ab humiditate, quæ Medicinæ proprium non sunt fundamentum, nec hominem lædunt, proficisci fatendum est; sed ab iis quæ insunt homini, amaro, salso, acido, dulci, cæterisque potentiis, quibus tùm copiâ, tùm facultate inter se tem-

Ex Hypocrate, lib. de veteri Medicina.

Ex Hypocrate, lib. de Natura Humana.

peratis, & maximè permixtis, valet homo: Si quid horum secretum fuerit, minus aut amplius, neque à reliquis temperatum, ægrotat.

I I.

SANITATIS & morbi causas, non ad primas qualitates elementares tantoperè decantatas, non ad occultas, nec ad totius substantiæ modum ac proprietatem; sed ad amarum, salsum, acidum, dulce, referendas esse statuimus: adeò verum est immunes esse à morbis solùm eos, quos amari, salsi, acidi, acris, vis insolita non exercuerit: Si, verbi gratiâ, in febribus pugnandum esset contrà calorem, aliasve ejusmodi qualitates, Medicus sapiens extinguendis etiam malignis, & intermittentibus profligandis, remedia non adhiberet calida, sicca, amara, qualia sunt Cortex Peruvianus, Cortex Ferulæ, Radices vel Flores Centaurii Minoris, & similia: Nonne acida Cardialgiæ, Malaciæ, Scorbuto? acerba & austera Lienteriæ, Dysenteriæ, Mensium, Hæmorrhoïdum, aut alio gravi profluvio? salsa & acria, præsertim ea quæ plurimo sale volatili referta sunt, soporosis affectibus, tanquam specifica, medentur. Quid plura, si alterantia vel purgantia Medicamenta agerent vi ac energiâ istarum qualitatum, cur alia similibus donata qualitatibus, nec idem, nec eodem modo præstare valent? Ex naturali igitur amari, salsi, acidi, dulcis, legitimè fœderatorum mixturâ fit sanitas; ab inæquali prædominio, & ab invicem secretione, morbus.

I I I.

NON solùm viventibus, sed mixtis omnibus, amarum, salsum, acidum, dulce, austerum, aut acerbum inesse voluit Natura, quibus diversam alterandi, purgandi, & agendi facultatem indidit: Unum quodque vegetans etiam in seipsum trahit è terrâ his gravidâ succis, sibi ipsi juxtà naturam magis familiarem; hinc fit ut in Polypodii radice austerus sapor cum dulci percipiatur; in Glicyrrhisâ dulcis cum acerbo; in Scordii Foliis acerbus cum amaro; in Myrrhide, Fœniculo, & Anisi semine, acer cum dulci; in Brassicâ acer cum amaro; in Aceto acidus cum acri; in Vino dulcis cum acido; in Absynthio amarus cum austero. Idem ferendum est judicium de Rhabarbaro, de Cortice Peruviano, de Ipecacuanhæ radice, & aliis Vegetantium generibus, quæ vi propriâ sibique peculiari, ad determinatos quosdam effectus sunt comparata. Ex Cibis pariter ingestis, qui commodi sunt & incommodi, horum unusquisque aut amarus est, aut salsus, aut acidus, aut dulcis, aut austerus vel acerbus: Iisdem Humores præditi sunt saporibus; Sanguis propriè dictus dulcis est; Bilis flava, amara; nigra, acida; acida Saliva; serum Salsum; Pituita ut plurimùm insipida. Ex Sanguinis distillatione, principiorum & saporum in eo existentium fidem faciunt experimenta quàm plurima.

Ex libro Boylei, de apparatu ad Historiam naturalem sanguinis humani.

I V.

QUANDIU cuique humori ſuus à naturâ ingenitus remanet ſapor, tandiù valet homo; tantùm verò ægrotat, quantùm diſcedit & immutatur ab eo qualis primùm fuerat; ut quò major extiterit mutatio, eò pejor ægritudo: Inde tot diverſa affectuum genera, quot alterationes diverſæ; quibus etiam non parùm confert, ut diſſimilis vivendi, ſic ægrotandi ratio. Medicus porrò ſapiens inſtare debet prout unumquodque horum in corpore prævalet: Ex amatore diffuſo, quales ſtatim anxietates, & æſtus, & impotentiæ occupant; quales viſcerum ac pectoris morſus: Ex ſalſedine præſertim acri, Raucedines, Anginæ, Eryſipelata, Peripneumoniæ: Ex aciditate, quâ plurimùm inficitur ſanguinis compages, Cachexia, & affectus propemodùm infiniti, qui ab inſigni ſanguinis acore frequentiùs producuntur; vix enim credibile eſt quantùm acidum habeat in humoribus imperium, & quot immaturum invehat ſymptomata: Sanguine nimiùm diſſoluto, ſulphureiſque particulis, unà cum ſpiritibus quaſi in furias actis, ex ſalſo volatili acri dominante, accenduntur præcordia; Phreneticus furor Ægrum de lecto ſternit, vel ſtratum, aut in eo jacentem immitis ſuccutit Convulſio, ſive ipſi affinis inordinatus artuum motus: facto verò craſſiore ex Salſo acido exuperante, cordis Palpitatione ſuccidit, & animi Deliquio fatiſcit; tuncque ſeroſa Illuvies à ſanguine craſſeſcente libera, ſuique juris facta, vel inſolitos agit curriculos errans ſinuoſo tramite; vel quoquòverſum prodiga diffluens, atrociſſimos Arthritidis, Rheumatiſmi, Colique cruciatus invehit, vel per vaſa lymphatica, per nervos, ad cerebrum refuga, laborantis caput impedit, metuendoque non ſatis veterno ſymptomatum peſſimo ſtatim obruit, atque intercepto ſpirituum commeatu, ſi non interficit Apoplexiâ, afficit Paralyſi.

V.

NEMINI mirum eſſe debet, ſi quot ſunt in humoribus ſaporum alteratorum modi, tot ſint in Ægrotantibus morborum atque ſymptomatum genera diverſa; alia enim eſt alteratio & alterationis malignitas in Lue Venereâ, alia in Dyſenteriâ, alia in Morbillis ac Variolis, alia in Scorbuto, alia in Febribus Purpuratis, ſive Petechialibus, alia in Contagioſis ſive Peſtilentialibus, alia in Continuis ſive Intermittentibus; quin & ſymptomata non eadem ſæviunt in omnibus. Ille gravanti membrorum laſſitudine torquetur: Hic pungenti Colico, lumborumque cruciatu incurvatur: Alter ſubito capitis dolore corripitur: Alter horrore laceſſente convellitur: Multi violento vomendi conatu quaſi animam eructant; plures præfocanti anhelatione vix ducunt ſpiritum; non pauci cruento è naribus, è pulmone, ex alvo, ex utero, immerguntur effluvio: Alii etiam coacti, vel inſcii, frequenti ac peſtiferâ ſordium cadaveroſè fœtentium ex ventre dejectione conſpurcantur; atque hi ſunt effectus, quos amarum, ſalſum, aut acidum malè moratum explicat; cujus etiam vitium hauritur ſæpè cum potu,

deglutitur cum cibo, inspiratur cum aere, sensimque in ventriculum, in sanguinem, in præcordia intrusum, incautos circumvenit, & nullâ habitâ personarum acceptione, suas exerit vires: Sed unde præcavenda tot affectuum atque symptomatum accessio, expectanda solutio? Si concitatiori motu ferantur humores, partesque amaræ ac sulphureæ dominatum habeant, compescunt remedia ex acidorum classe deprompta; si nimiùm torpeant, & acido vincente constringantur, excitant Volatilia, Diaphoretica, Theriacalia, Bezoartica, & similia, non omissis (cùm opus est) vacuantibus: Hac arte proximè futurum ex imminenti saporum vitio malum antevertitur; inustum emendatur; ne grassetur latiùs, eradicatur; sic torpenti sanguini motus additur; nimis effervescenti detrahitur; intemperato crasis restituitur.

Ergo in homine amarum, salsum, acidum, dulce, quibus valet & ægrotat.

DOMINI DOCTORES DISPUTATURI,

M. Petrus Azevedo. *M. Franciscus Aignan.* *M. Urbanus Leaulté.*

M. Joannes Herment, utriusque Aulæ Equestris Medicus Ordinarius. *M. Jacobus Fourneau.* *M. Franciscus Pecoté de Belestre.*

M. Stephanus-Franciscus Geoffroy, Regiæ Scientiarum Academiæ Parisiensis, Regiæque Societatis Londinensis Socius, & Regius Professor. *M. Michael-Ludovicus Reneaume de la Garenne, Regiæ Scientiarum Academiæ Socius.* *M. Joannes Daval.*

Proponebat Parisiis CLAUDIUS DE LA VIGNE DE FRECHEVILLE, Parisinus, Baccalaureus Medicus, A. R. S. H. 1718. à sexta ad meridiem.

Typis J. Quillau, Universitatis & Facultatis Medicinæ Typographi.